

213.



Disputatio XXIII.

D E

R E I V I N D I C A T I O N E,

Q V A M,

D. B. F.

P R A E S I D E

C L A R I S S I M O E T

C O N S V L T I S S I M O V I R O,

D N. H E N R I C O B O C E R O. I. V. D. E T

*in inclyta Tubingensi Academia Antecessore celeberrimo, Praeceptore suo honorando,*O R D I N A R I I E X E R C I T I I G R A -
tiâ tueri conabitur .I O H A N. G E O R G I V S B E S O L D V S,
Tubingensis.T U B I N G A E
Apud Georgium Gruppenbachium.

A N N O M. D C.

Z Z Z

Dignitas XIII

CLAUSULAE
CONSTITUTIONUM

CLAUSULAE
CONSTITUTIONUM

CLAUSULAE
CONSTITUTIONUM



I.

Disputatio XXIII,

DE REI VINDICATIONE

THESIS I.

DE VINDICATIONE HEREDITATIS haecenus: de singularum rerum vindicatione dehinc agendum; quæ vel rei vindicatio est, vel utilis in rem actio; (qualis etiam est Publiciana in rem actio, item actio rescissoria) vel est actio seruiana, vel quasi seruiana, siue hypothecaria actio, vel actio confessoria, vel negatoria actio, vel deniq; præiudicialis actio.

II.

Rei vindicatio est in rem actio, (a) per quam res singulas, (b) corporales, (c) proprietate nostras, (d) ab eorum possessore, (e) vel detentatore, (f) vel nostras petimus. (g) Eadem etiam directa vindicatio appellatur. (h)

a) Et omnis in rem actio vindicatio dicitur, l. actionum, 25. in pr. ff. d. oblig. & act. Ergo & rei vindicatio, l. in rem, 23. in pr. ff. d. rei vind. quæ est de proprietate, Duar. ad. l. 1. §. conuentionis. ff. d. pact. Cuiac. in parat. ff. d. rei vind. Et licet omnes vindicationes sint vindicationes rei, per antonomasiam tamen rei vindicatio, est rei tantum propriae corporalis vindicatio, Donel. lib. 20. com. c. 1. p. 387. Bald. autem ad c. Super literis, n. 34. & seq. ext. d. rescript. distinguit inter Rei-vindicationem, & rei vindicationem; Nota, inquit, quod rei vindicatio, quando est vna dictio, ponitur strictè: sed quando sunt duæ dictiones, ponitur largè. (b) l. 1. in pr. & l. si in rem, 6. ff. de rei vind. (c) §. 1. ibi, rem corporalem. Inst. d. act. Et sanè hac nota distinguitur rei vindicatio à confessoria, & negatoria actionibus. quæ etiam in rem actiones sunt, de seruitutib. singulis, l. 1. l. 2. ff. d. seruit. vindic. (d) d. l. in rem, 23. in pr. ff. d. rei vind. & §. 1. ibi, quam Titius suam esse affirmat. Inst. d. act. Et hoc differt rei vindicatio à publiciana: alijsq; in rem corporalem actionibus (e) l. actionum, 25. in pr. ff. de obl. & act. l. is qui, 25. l. Sin autem, 27. in pr. & §. 1. l. qui petitorio, 36. in pr. & l. vlt. ff. d. rei vindic. §. 1. ibi. possideat quis. Inst. d. action. (f) l. officium, 9. ff. de rei vindic. (g) Petitio proprie in rem est actio, l. actio, 28. ff. d. oblig. & act. Petimus autem rei vindicatione rem nostram, vt nostram, vt arguunt tex. elegantes ad th. 4. sub lit. a. adducti. Vnde etiam Iudex, actore probante, quod res petita sui sit dominij, sententiâ sua declarare id debet, l. & ex diverso, 35. §. 1. ff. h. t. & fac. l. sicut autem, 3. §. Sed si
 222 2 quari-

quæritur. 3. ff. si seru. vind. Possumus quidem alia actione rem exigere nostram, sed tunc non id potissimum intendimus, quod nosira sit, ut si depositi, vel commodati vel locati actione, rem nostram à depositario, commodatario, conductore, repetamus. Sunt ergò, ut ex proposito definitione conuincitur, rei vindicationis duo requisita, quorum probatio auctori incumbit: I. ex parte auctoris dominium: II. Ex parte rei conuenti, possessio, vel detentio rei petita, Felin. ad c. examinata. in pr. ext. d. iudic. Menoch. in pralud. recup. possess. n. 20. (h) l. nullo iusto. 24. C. d. rei vind. & §. namq; si cui, ibi, nullam habet directam in rem actionem. Inst. d. act.

III.

In hac actione spectamus tum cui ea competat, & aduersus quem, tum qua dere, & quem in finem moueatur: tum postremò, quomodo reo hac actione conuento, de indemnitate consulatur, si quid in rem petitam impenderit.

IV.

Competit autem rei vindicatio domino rei, quæ petitur, (a) siue gentium, siue ciuili iure dominus sit, (b) etiamsi nudæ, proprietatis dominus sit, vsusfructus verò alienus, (c) Proindeq; dominiij actio rectè appellatur. (d)

a) d. l. actionum. in pr. ibi, per quam rem nostram, ff. d. oblig. & act. l. non idèd. 66. ibi, quid nostrum esse vindicabimus, ff. d. rei vind. §. certè illud, ibi, solè dominus petat domum suam esse. & §. ex maleficijs, vers. pœnam. ibi, suam esse petens. Inst. d. act. l. Si mater. 11. §. Si quis autem. 2. ff. d. except. rei iud. l. si mancipium. 34. §. vlt. ibi, si quis dominium rei petierit. ff. d. euct. l. 4. l. si quis. 11. & l. seq. l. cum à matre, 14. C. de rei vindic. (b) d. l. in rem. 23. in pr. ff. d. r. (c) l. fructus, 33. vers. hac ratione. ff. h. r. (d) l. ciuili. 18. ibi, post dominij libertem inchoatam, ff. d. vsur. & not. Cuiac. in lib. 2. quest. Pauli. pag. 53. col. 2.

V.

Et non tantum ei competit domino, qui purè, ut Iustinianus loquitur, (a) siue, quod idem est, perfectè, ut Gaius, (b) & Africanus, (c) aiunt, siue, ut aiunt Gaius. (d) in planum dominus est; sed & illi, qui non perfectè dominus est, vel cui ex causa dominium auferri potest, qualis est, à quo sub conditione legatum, vel serui libertas est relicta, (e) item, cui res in diem addicta est, (f) item maritus, cui res in dotem data est. (g)

a) l. vlt. §. sed quia, in fin. C. com. d. legat. & fideicom. (b) in l. omnes actiones. §. vlt. ff. d. reg. iur. (c) in l. cum quis. 38. §. qui hominem. 3. ff. d. solut. (d) in l. Neratius. 63. ff. d. cond. indeb. (e) l. non idèd, 66. ff. d. rei vind. (f) l. Si quis

l. Si quis hac lege. 41. in pr. ff. eod. t. (g) l. de his 11. C. d. iur. dot. Quodd autem maritus non sit perfecte dotis dominus, ostendit D. Pras. in com. ad L. contractus. de reg. iur. c. 4. num. 10.

VI.

Quòd si duobus in solidum vendatur aut donetur prædium, tunc is, cui prius est traditum, in vindicando potior est.

l. quoties. 15. C. d. rei vind. Cuiac. lib. 18. obs. c. 31.

VII.

Mulier quoq; etiam durante matrimonio, interdum vindicare ab extraneo fundum dotalem potest.

l. 3. C. h. t. l. pen. §. si fundus, ff. qui satisfac. cog. Cuiac. lib. 10. obs. c. 32.

VIII.

Quandoq; tamen dominus vindicare suam rem non potest, antequam ad exhibendum actione usus fuerit; ut si res per plumbaturam alienæ rei iuncta siue adiecta sit, hoc enim casu dominus ad exhibendum agere potest, ut res separentur, & tunc vindicentur. (a) Interdum petitor verus dominus exceptione omninò repelli à possessore potest. (b)

a) *d. l. in rem. 23. §. item quæcunq; ff. h. t. (b) ut in casu l. Si à Titio. 72. ff. eod. t. l. pen. ff. de except. rei iud. l. apud. 4. §. si à Titio. ff. d. except. dol. mal. Cuiac. lib. 18. cap. 31.*

IX.

Ad domini autem probationem quod attinet, generaliter hic sciendum, quòd petitor probare tenetur, nò tantum ipsum modum, quo acquisiuit dominium, puta traditionem, usucapionem, aditionem hereditatis: sed & horum modorum causam aliquam idoneam, veluti causam emptionis, donationis, dotis, hereditatis testamentariæ, vel legitimæ.

l. cum res. 12. & l. siue, 16. C. d. probat. & l. pen. C. d. rei vindicat. Menoch. post alios, lib. 2. d. arbit. iud. cent. 1. cas. 42. n. 6. Mascard. d. probat. vol. 1. concl. 537.

X.

Sed nunquid etiam probare necesse habet, quod autor, à quo rem accepit alienationis titulo, dominus fuerit eius rei? multi quidem ita sentiunt, (a) atqui contrarium quidam alij asserunt, (b) quib. nostrum calculum haud ægrè addimus. (c)

222 3

a) Quos

a) Quos refert Boer. quest. 42. n. 25. (b) Paris. consil. 104. n. 100. lib. 1. Menoch. dict. cas. 42. n. 6. (b) Per d. l. cum res 12. C. d. probat. *quæritur nō ad sãc q̄libet nom.*

XI.

Quæritur & illud, an qui olim dominus fuit, & nunc præsumatur Dominus? aientium (a) opinio nobis nihil displicet. (b)

a) Quos refert & sequitur Menoch. d. præsumpt. lib. 6. præsumpt. 62. (b) arg. d. l. siue, 16. C. d. probat. Facit, quod non amittitur dominium, nisi factò quodam, l. id nostrum. ff. d. reg. iur. factum autem non præsumitur, sed ab aduersario est probandum.

XII.

Probatur item dominium per testes, instrumenta, & indicia certa, quæ iure non referuntur.

l. Indicia. 19 vbi Bl. & Sich. C. d. rei vindic. l. 4. & ibid. Sichard. C. d. probat. Menoch. d. cas. 42. n. 2. & 3. Mascard. d. vol. 1. concl. 538. & 540. De dominij probatione vid: eund. Mascard. Conclusionib. seqq.

XIII.

Quòd si actor probet sui dominij esse rem petitam, reus eam restituere cogitur: (a) si non probet, reus non tenetur restituere.

d. l. officium, 9. ff. h. t. l. vlt. C. h. t. Mascard. d. probat. vol. 1. concl. 536.

XIV.

Quia verò dominij probatio difficilis est, (a) si quidem in reb. acquirendis non semper testes aut instrumenta interueniant, vel si interuenerint quidem, non tamen semper præstò sint: neq; omnis, à quo titulo alienationis rem accepimus, dominus est, iccirco is qui rem destinauit petere, animaduertere debet, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem, qua acquisita, aduersarius ad onera petitoris compellitur, vt probet dominium: possessor verò hoc fruitur commodo, quod probare non tenetur. (b)

a) Menoch. d. arbit. iud. lib. 2. cent. 1. cas. 42. n. 1. & Mascard. d. probat. vol. 1. concl. 535. (b) l. si qui destinauit, 24. ff. h. t. l. inter. 62. ff. d. iudic. & §. retinenda, Inst. d. interd.

XV.

Competit autem rei vindicatio aduersus eum, qui rem, de qua agitur, possidet, (a) aut dolo ante litem contestatam possidere desijt, (b) aut se obtulit vindicationi, (c) vt si ignorante petitore, falsum, possidere dicat, nec mendacium ante litem contestatam corrigat. (d) Quin etiam, licet ante litis contestationem correxerit

DISPUTATIO XXIII.

rit mendacium, attamen, si interim verus possessor vsuceperit, damnari debet qui mentitus est. (e)

a) d. l. actionum. 25. in pr. ff. d. oblig. & act. l. vn. C. d. alien. iudic. mut. caus. facta. & l. vlt. ff. d. rei vind. Horom. lib. quest. illust. quest. 31. (b) l. Sin autem. 27. §. sed & is. 3. l. qui petitorio. 36. ff. d. rei vindic. l. qui dolo. 131. l. Parem. 150. ff. de reg. iur. Non probamus Dd. opinionem, qua volunt, actionem in factum competere ex edicto de alienatione iudicij mutandi causa facta, si ante litem contestatam possessor desierit possidere, non hanc actionem. Resutantur otiam per tex. in d. l. Sin autem. 27. §. sed & is. 3. ff. h. t. (c) l. si is qui obsulit. 7. ff. h. t. (d) l. is qui. 25. & l. seq. ff. eod. (e) l. Sin autem. 27. in pr. ff. h. t. & l. nec vllam. 13. §. non solum. ff. d. petit. hered. pulchrè Cuiac. in lib. 21. Paul. ad edict. pag. 321. & seq.

XVI.

Possidere hoc loco & eum dicimus, qui rem tantum detinet, licet verè modò non possideat, modò rei restituendæ facultatem habeat: qualis est depositarius, commodatarius, conductor, & qui legatorum seruandorum causa, aut dotis, ventrisue nomine, aut damni infecti nomine in possessione est. (a) Item sequester, facta sequestrationis declaratione. (b)

a) d. l. officium, 9. vbi Costal. ff. h. t. Donel. lib. 20. com. c. 3. in fin. & pag. seq. (b) Vid. sub cl. 1. disput. XII. th. 101. & docet Andr. Clud. in tr. d. iur. sequest. c. 12. n. 30.

XVII.

Vnde non iniuria & illud verè dicimus, hanc actionem quandoq; domino, eidemq; possessori tribui.

Obst. §. æquè. vers. quod genus actionis. Inst. d. act.

XVIII.

Hi tamen si alterius nomine possideant rem immobilem, & litem ab aliquo per in rem actionem sustineant, debent statim in iudicio dominum nominare, vt siue in eadem ciuitate degat, siue in agro, siue in alia prouincia sit, certo dierum spacio à Iudice definiendo, eoq; ad notionem eius perducendo, vel ipse in loca, in quib. prædium situm est, perueniens, vel procuratorem mittens, actoris intentiones excipiat; qui si post indultum tempus id minimè fecerit, tanquam lite, quæ ei ingeritur, ex eo die, quo possessor ad iudicium vocatus est ad interrumpendum longi temporis præscriptionem siue vsucapionem, contestata, Iudex eum, vtpote dominum possessionis, cdictis legitimis proponendis, citare curabit, quæ

quo in eadem voluntate permanente, negotium summatim discutens, in possessione rerum actorem mitti non differet, omni allegatione absenti de principali quaestione seruata.

l. 2. C. vbi in rem act. exes. deb. & confert auth. qua in prouincia. C. vbi de crim. ag. opor. ac doc. Costal. ad d. l. officium. 9. ff. d. rei vind. Vbi ex Innocent. Bald. & alijs addit, quod si hic, alieno qui nomine possidet, non nominauerit dominum, & eo modo iudicium acceperit, nec in possessione, nec in proprietate, prauidicium domino fieri.

XIX.

Quoniam autem frustra agit, qui cum eo instituit hanc actionem, qui neq; possidet, neq; dolo desijt possidere, neq; se vindicationi dolosè obtulit: iccirco primùm requirere quis debet, an is, cum quo experiri vult, possideat nec ne.

l. qui petitorio. 36. in pr. ff. d. rei vind.

XX.

Sed nunquid illud per interrogationes in iure expediri potest? Accursius, (a) Bart. (b) & post alios etiam Costalius, (c) & Donnell. (d) ita sentiunt. (e) At Cuiacius (f) cæteris contrarius, scribit, quod per se quis odorari, & perscrutari debeat, vt is, cum quo in rem acturus est, possideat, nec ne, eò, quod interrogationes illæ in iure quæ fiunt, ad in rem actiones, quæ arbitrariæ sunt, non pertineant. (g)

a) (b) (c) *ad d. l. qui petitorio. 36. in pr. ff. h. t. Item Accurs. ad l. qui seruum. 20. §. in iure. ff. d. interrog. in iur. faciend. (d) lib. 20. com. c. 3. pag. 396. (e) Per d. l. qui seruum. 20. §. in iure. ff. d. interrog. in iur. fac. Sentit idem Hotom. lib. quaest. illust. quaest. 31. (f) in lib. 2. quaest. Paul. pag. 45. & seqq. (g) per tex. in l. 1. in pr. vers. est autem. ff. d. interrog. in iur. fac.*

XXI.

Est & illud hîc notandum, quod si reus conuentus dicat petitori, se non possidere, de mendacio autem conuictus fuerit, petitor ad se transferre possessionem per iudicem possit, licet suam esse non approbauerit.

l. vlt. vbi Costal. ff. h. t.

XXII.

In heredem possessoris, vt heredem, hæc actio non competit, si tamen quid ex persona defuncti commissum sit dolo malo, vt si defunctus ante litem contestatam dolo desierit possidere, aut temerè ad

DISPUTATIO XXIII.

7

ad iudicium prouocauit, & res petita deinde perijt, aut prouocauit ad iudicium iusta quidem ex causa, sed dolo vel culpa eius res deinde perempta est, omnimodò in condemnationem id veniet.

l. Si in rem. 42. ff. h. t. l. de eo. 12. §. vlt. ff. ad exhib. Donell. lib. 20. com. cap. 3. pag. 397. Cuiac. in lib. 26. Pauli ad edict. pag. 11. col. 2.

XXIII.

Inquæstionem hoc loco tempestiuè & illud vocari potest, sit ne planè necessarium in hac actione, vt possessor contrà rei petitz se dominum esse dicat? nos cum aliquibus (a) contra quosdam, (b) non necessarium, honestum tamen & vtile esse dicimus: vtile ideo maxime, quia petitore in dominij probatione deficiente, aut probante quidem causam & modum acquirendi dominij antiquum, puta, quòd aliquando emerit, & per traditionem acceperit rem eam ab emptore, si possessor ab initio litis contrà vindicauerit, & rem suam esse dixerit, & probauerit dominium rei præsens suum esse, Iudex eum declarare dominum tenetur. (c)

a) *Accurs. VVesenbec. Thom. Linio, & Donel. ad S. omnium autem. n. 25. Inst. d. act. (b) inter quos est Cont. lib. 1. disput. c. 11. vers. in iure cessio. p. 66. (c) per l. si quidem. 9. & l. præscriptionem. 8. C. d. except. iunct. l. vt fundus. ff. com. diuid.*

XXIV.

Sequitur vt videamus, qua de re competat hæc actio. Competit autem tum de re nostra corporali, tum de accessionibus illius.

XXV.

De re inquam nostra competit hæc actio, (a) & quidem de re nostra corporali, (b) neq; refert ea mobilis sit, vel immobilis, animata vel inanimata. (c)

a) *l. in rem. 23. in pr. ff. h. t. cum si mill. iur. tex. 1b. 4. ascriptis. (b) S. omnium. vers. aut cum eo agit. ibi, veluti si rem corporalem. Inst. d. act. (c) l. 2 §. 1. ff. h. t.*

XXVI.

Sunt autem corporum, (quod hîc notandum) tria genera. Alia enim corpora ex distantibus, & à se disunctis partib. siue corporib. singularibus, constant, vt grex, armentum, equitium, familia, chorus, & frumenti aceruus. Alia sunt corpora, quæ constant ex coherentibus, & vno spiritu deuinctis, vt homo, pecus, arbor, lapis, statua. Alia verò sunt corpora, quæ constant ex partib. sese contin-

aaaa genti-



gentibus, siue coherentibus inter se, nō vno quidē Spiritu, sed compagine vna, vt domus, nauis, armarium, vehiculum, vestimentum.
l. rerum. 30. ff. d. v. surp. & v. sucap.

XXVII.

Primi generis corpora, si ex diuersorum dominorum rebus constent, cu libet dño salua est suæ partis vindicatio, certæ vel incertæ.
l. 1. in fin. et l. 2. l. 3. in pr. l. 5. in pr. in rem. 23. §. itē quæcunq. vers. at in his. ff. h. t.

XXVIII.

Secundi generis corpora aut naturā coherent, & vnam rem, constituunt, vt homo, pecus: aut artificio quodam iuncta sunt, vt statua. Illa quisquis pro sua parte vindicat: (a) hæc vel resolui & separari possunt, vt per plumbaturam iuncta: (b) vel separari non possunt, qualia etiam sunt, quæ ferruminatione (c) coherent. Quæ resolui & separari possunt, eorum nomine quisquis dominorum ad exhibendum agere potest, vt separentur partes à roto, ac separatam deinde partem vindicare: Quæ separari non possunt, in ea sunt conditione, vt de eo quod est de tuo iunctum, neq; ad exhibendum actionem, neq; rei vindicationem mouere possis. (d) De precio tamen eius rei prætoria in factum actione experiri non prohiberis. (e)

a) *l. quæ de tota, 67. §. 1. & l. 3. §. vlt. ff. h. t.* (b) *plumbatura est, cum diuersæ materiae plumbo vel stanno adhibito, iunguntur: vt si æs æri, lapis lapidi, plumbo iungatur. l. 2. ff. d. sepul. viol. Cuiac. in lib. 21. Paul. ad edict. p. 316.* (c) *Ferrumen est gluten eiusdem materiae. Ferruminatione, cum res eiusdem generis per ferrumen iunguntur; vt cum per ferri materiam statua ferrea iungitur ferreum brachium, aut statua anea iungitur brachium aneam per eandem materiam. Cuiac. prox. dict. loc.* (d) *d. l. in rem. 23. §. itē quæcunq. §. ff. h. t.* (e) *d. l. in rem. 23. §. 5. vers. ideoq; in omnibus. ff. eod. & l. 3. §. pen. ff. ad exhib. Cuiac. in d. lib. 21. Paul. ad edict. p. 316.*

XXIX.

Idem quoq; planè statuendum videtur in tertij generis corporibus. Nam & quod in huius generis rei meæ, iunctum est, non potes quidē id tūm vindicare, quamdiu rei meæ coherent, sed si separari possit, potes agere ad exhibendū, vt separetur, & tunc vindicetur à te. (a) Si verò quod rei meæ ex tuo iunctum est, non possit separari, neq; de eo ad exhibendū, vt separentur, neq; vindicatione agere potes. Vnde si tignum tuū meis ædibus sit iunctū, licet separari possit naturaliter, iure tamen civili ex XII. tab. separari non potest. Proindeq; nec vindicare eam potes, nec eo nomine ad exhibendū agere, nisi sciens iunxerim ædibus meis: sed est antiqua actio de tigno iuncto, quæ in duplum ex leg. XII. tab. descendit. (b)

a) *l. gem-*

DISPUTATIO XXIII.

9

a) l. gemma. 6. & l. seq. §. 1. & 2. ff. ad exhib. (b) d. l. in rem 23. §. pen. h. t. n. l. gemma. 6. ff. ad exhib. l. 1. §. vlt. ff. d. tign. iunct. & §. cum in suo. versic. nec tamen ideò. Inst. de rer. diuis. l. adeò. 7. §. cum in suo. vers. nec tamen ideò. ff. d. acq. rer. dom.

XXX.

Vt autem rei vindicatio de re corporali competit, ita quoq; eam oportet esse certam, vt intelligi possit quid petatur. Vnde hac agens actione, rem designare & demonstrare debet.

l. Si in rem. 6. vbi Costal. ff. h. t. l. in actione. 19. in pr. ff. de furt. l. 1. §. Si quis argentum. 40. ff. depositi.

XXXI.

Aliter autem designantur res soli, aliter res mobiles. Rem soli qui vindicat, sic rectè designat, si dicat nomen rei, & ne fallat nomen, adjicit locum, in quo res sita est.

d. l. Si in rem. 6. in fin. ff. h. t.

XXXII.

In rebus mobilibus aliter designantur animalia, aliter res quæ anima carent. In animalib. hominem seruum qui vindicat, si nomen dixit, rectè designauit; vt Eros seruus, quem Titius possidet, meus est. Quòd si plures sint eiusdem generis, ætas adiecta certum designabit: vt si dicat petitor, vtrùm seruus puer sit, an adolescens, (a) alioqui, nulla fiet condemnatio, si non appareat de quo actum sit. (b)

a) d. l. 6. circ. fin. ff. h. t. (b) l. 5. §. vlt ff. eod. t. Hinc, licet error sit in vocabulo, de corpore tamen constet, rectè actum videtur, vt in eadem leg. §. pen. dicitur.

XXXIII.

Animalia bruta qui vindicat, genus & sexum dicere debet, sine quibus, quòd sit animal, intelligi nõ potest: hoc modo; Bos qui apud Titium est, meus est. vacca quæ est apud Seium, mea est. Et quia hæc animalia omnia non eodem colore sunt, colorem actor adjicere debet, vt in vestimentis quæ vindicantur.

d. l. Si in rem. 6. vers. & si vestimenta. ff. h. t.

XXXIV.

In rebus inanimatis mobilibus videndū est, vtrùm res petita quantitate, puta numero, vel mensura, constet, an constet specie. Si materia infecta pondere constans, petitur, materiam dicere oportet, & pondus: vt auri pondo tot, argenti pondo tot: vel massam auream aut argenteam tanti ponderis. Si petitur materia facta & signata, id est, pecunia, dicere oportet speciem nummorum, & numerum: vt aureos numeros tot, taleros tot: vel, quod

aaaa 2 idem



idem est, in pecunia aurea tot florenos, in pecunia argentea tot. Si res constat mensura, hic speciem dicere oportet, & mensuram: ut frumēti modios viginti, olei metretas decem, vini tot amphoras, aut tot dolia, (a) Sed quoniam vina non sunt unius coloris, & quo colore sint, ad rem multum refert, ideo in vino colorem adijcere oportet, utrum rubrum sit, an album. (b)

a) *d. l. si in rem. 6. ff. h. tit. & d. l. in actione. 19. ff. d. furt.* (b) *d. l. 6. ff. h. t.*

XXXV.

Species mobiles constant certè omnes; quarum aliæ speciem suam certam à natura habent, aliæ ab hominum artificio, & manu. Natura, ut lapis, lignum; artificio, ut lanx, discus, patera, vestimenta, lectus, fulcrum.

Donell. lib. 20. com. c. 4. p. 402.

XXXVI.

Quæ à natura speciem certam habent, in his speciem hanc designare oportebit, & quantitatem, ut dicat petitor, lapidem, lignum, illius quantitatis. Et quia in lapidibus alij communes sunt, alij marmora, in his etiam, addita differentia, genus distinguere conveniet, ut certam speciem efficiamus.

Donell. dict. loc.

XXXVII.

Quæ artificio habent speciem certam, si metallicæ sunt, in his & species dici debet, & materia & pondus; ut pateram auream vel argenteam, tanti ponderis (a) nisi actor iuret, pondus se pro certo dicere non posse. Utrum autem pura sit, an cælata, lanx quadrata an rotunda, dici non est necesse. (b)

a) *d. l. 1. §. Si quis argentum ff. depositi. De materia, quod & hæc dicenda sit, sentit idem Ulpianus, sed in pondere dissentire videtur in d. l. in actione, 19. §. 1. ff. d. furt. Neq; Paul. in d. l. 6. §. quamvis. ff. d. rei vind. requirit, ut & pondus dicatur.* (b) *d. l. si in rem. vers. quamvis. ff. d. t.*

XXXVIII.

In vestimentis species vestis dicenda est, pallium sc. sit, vel tunica, vel toga, vel qua alia species. Est item dicenda materia, an serea sit, an lanea, an lintea. Dici quoq; debet, virilis sit vestis, an muliebris. (a) Deniq; & color dici debet, nisi petitor iuret, se colorem pro certo dicere non posse.

a) *d. l. 6. vers. Octavianus. ibi, facta autem speciem dici oportet. ff. h. t. d. l. 1. §. Si*

DISPUTATIO XXIII.

21

l. 1. §. si cista. 47. ibi. adijcienda sunt & species vestis. ff. depositi. Donell. dict. loc. (b) d. l. in actione. 19. §. de veste. ff. de furt.

XXXIX.

Quòd si pars rei indiuisa petatur, dici oportet, quota pars petatur. (a) In certæ tamen partis vindicatio datur, si iusta causa interueniat, vt scire non possit petitor, quotam vindicare partem debeat. (b)

a) l. Si in rem, 6. in pr. l. & ex diuerso. 35. §. vlt. l. qua de tota. 76. in pr. ff. h. t. (b) l. 3. §. vlt. & d. l. qua de tota. 76. §. 1.

XL.

Sed quæritur, si ex æquis partib. fundum mihi tecum communem, tu & L. Titius possideatis, à quo, & quotam partem petere debeam? ex sententia autem Pomponij, quam & Paulus sequitur, videndum est, vtrum pro indiuiso possideant, an verò pro diuiso, certis scilicet regionib. Priori casu, non ab vtrisque quadrantes, sed à Titio, qui dominus non est, totum semissem petere debeo. Casu posteriori & à te, & à Titio, partes fundi petere iubeor, & ideo tu quoque à Titio quadrantem petere debes.

l. Pomponius. 8. ff. h. & l. 1. §. si ego. 3. vbi Costal. ff. si pars hered. pet. Cuiac. in lib. 12. Paul. ad edict. pag. 189.

XLI.

Sed isthæc distinctio neque in re mobili, aut se mouente, (a) neque in hereditatis petitione locum habet, cum res mobilis, vel se mouens, vel hereditas, pro diuiso possideri nequeant.

d. l. Pomponius. 8. vers. vlt. ff. h. t. Qui rem mobilem, puta nauem, lancem, mensam, vel rem se mouentem, veluti animal, diuidit, perdit. Cuiac. lib. 12. ad edict. Paul. pag. 189. & res huiusmodi diuisa, desinit esse res, qua prius fuerat. Donell. lib. 20. comment. c. 4. in fin. p. 405. Hereditas ideo pro indiuiso possidetur, quia ius est, quod in partes certas diuidi non potest.

XLII.

Quid verò, si rei nostræ corporalis possessionem amiserit reus, quid præstabit nobis? Distinguendum hic erit inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem. Bonæ fidei possessor, frante litem contestatam amiserit rem alienam, hunc dolum præstabit, non autem culpam. (a) At post litem contestatam, si dolo malo possidere desierit, cum dolus pro possessione sit, (b) tanti condemnabitur, quanti actor in litem iurauerit. (c) At præterea illatâ ea æstimatione, actor cauere non cogitur

aaaa 3

gitur



gitur actiones suas cedere. (d) De culpa autem tenetur, (e) sed non pluris, quam quanti res est: (f) audiendus tamen erit à iudice, si desideret, ut aduersarius suas actiones cedat.

a) *l. si homo. 45. ff. h. t.* (b) *l. quòd si dolo. 22. ff. eod.* (c) *l. qui restituere, 68. vers. si verò. ff. h. t. l. si fundus. 16. §. in vindicatione. ff. d. pignorib.* Quòd si actor iurare non vult, mos ei gerendus est, *l. quòd si possessor. 71. ff. h. t.* (d) *l. is qui dolo. 69. & l. seq. ff. d. rei vind.* Obst. videtur *l. in depositi. 12. ff. d. re iudic. d. qua vid. ibid. Duar. & Cuiac. in lib. 12. quest. Papin. p. 312.* (e) *d. l. si homo. 45. ff. eod. Donell. lib. 20. c. 5. pag. 409.* (f) *d. l. qui restituere. 68. vers. si verò nec potest. ff. h. t. l. 2. §. 1. l. 4. §. vlt. l. in actionib. 5. §. sed in his. ff. d. in lit. iurand.* (g) *l. si culpa. 63. ff. h. t.*

XLIII.

Si bonæ fidei possessor, qui iustè ad iudicem prouocauit, post litem contestatam sine dolo & sine culpa rem desierit possidere, hoc casu absoluitur quidem, sed non omnimodò: si n. rem vsuceperit interim, cogitur domino actionem suam, id est, rei vindicationem, cedere; ac præterea cauere de ea re restituenda, si in suam potestatem peruenit, non etiam de ea inquirenda sumptibus suis, nisi actionem suam non cedat. Quòd si non vsuceperit rem, absoluitur omninò, quia non habet actionem quam præstet, et quia domino hoc casu salua est rei persecutio, superuacua est illa cautio. Vtroq; tamen casu de fructib. rationem reddit,

l. si bonæ fidei, & l. si culpa. 63. ff. h. t. Cuiac. in lib. 12. quest. Papin. pag. 313. col. 1. Nam bonæ fidei possessor, si iustè ad iudicium prouocauit, moram non facit. *l. si quis solutioni. 24. d. vsur.* Proindeq; amissa possessione absq; culpa sua, liberatur. *l. si ex legati. 23. ff. d. V. O. Donell. lib. 20. com. c. 5. pag. 409.* Sed obstare videtur huic thesi, quòd post litem contestatam omnes possessores fiunt pares, *l. sed et si. 25. §. si ante. 7. ff. d. petit. hered.* Caterùm Cuiac. in lib. 20. quest. Papin. pag. 313. scribit, quòd isthæc regula non sit perpetuò vera. Et in lib. 20. Paul. ad edict. pag. 303. col. 1. in pr. tradit, quòd non pertineat ad facti & necessitatù casum, qui apud possessorem contigit post litis contestationem. Vide quoq; Donel. dict. c. 5. pag. 410. in fin.

XLIV.

Malæ fidei possessor etiam ante litem contestatam culpam præstat: (a) proindeq; multò magis post litem contestatam. (b) sed licet bonæ fidei possessori ob culpam eius post litem contestatam admissam, petitor actione sua cedere teneatur, (c) malæ fidei tamen possessori nomine huius culpæ dominus actionem suam præstare non cogitur.

a) *l. qui*

DISPUTATIO XXIII.

a) *l. qui petitorio. 36. §. 1. & l. si culpa. 63. l. si homo. 45. ff. h. t. & l. si seruus. 21. §. 3. ff. d. euct.* Nam mala fidei possessor, ex quo primo mala fide rem tractare cepit, moram in restituenda re facere intelligitur, *l. vlt. ff. d. cond. furt. l. pen. ff. d. vi & de vi arm.* Mora autem perpetuat obligationem, etiam iudicati, *l. si seruum. 91. §. sequitur. ff. d. V. O. Donell. dict. lib. 20. com. c. 5. pag. 409. (b) l. illud. 40. in pr. ff. d. petit. hered. & non distinguunt. l. 36. §. 1. & d. l. 63. ff. h. t. facit etiam d. l. si à bona. 21. vbi Br. ff. eod. & d. l. si homo. 45. in fin. ff. h. t. (c) d. l. si à bona. 21. & d. l. si culpa. 63. ff. h. t. (d) d. l. is qui dolo. 69. ff. eod. tit. Cuiac. in lib. 12. quest. Papin. pag. 313. col. 2.*

XLV.

Præterea malæ fidei possessor casum quoque præstat, id est, licet casu perierit res petita, nihilominus tamen tenetur, nisi eodem modo peritura fuisset apud petitem.

l. illud. 40. in pr. ff. d. petit. hered. & l. item. 15. §. vlt. vbi post alios de hac exceptione vide Costal. in primis verò gloss. distinguentem inter possessorem, qui ab initio malæ fidei fuit, & eum qui postea mala fidei factus est possessor. illum, ait, sine exceptione de casu teneri: hunc verò non item. l. vlt. §. 16. in pr. ff. h. t. Cuiac. in lib. 20 Paul. ad edict. pag. 302. & in lib. 21. pag. 311. Donel. lib. 20. comment. c. 5. pag. 411.

XLVI.

Si quis etiam rem ex necessitate distraxit, officio Iudicis ei succurritur, ut pretium duntaxat restituat.

d. l. item. 15. §. 1. ff. h. t. fac. l. si & rem. 22. in fin. ff. d. petit. hered.

XLVII.

Quod si possessor lite contestata, vsucaptam rem dolo possidere desierit, eaque postea à tertio quodam perempta sit, aut pretium rei, aut actiones suas, puta legis Aquiliæ, aut in factum actionem, petitori præstare tenetur.

l. Iulianus. 17. §. 1. vers. quod si dolo malo. ff. h. t. & fac. l. item. 15. §. vlt. ff. eod.

XLVIII.

Est & illud circa rem, quæ petitur hac actione, notandum, quod in eadem causa restituenda res est, quæ futura esset, si restituta fuisset tempore litis contestatæ, id est, ut talis reddatur, qualis est cum petitur.

l. 2. ff. d. vsur.

XLIX.

Tribus autem modis fit, (a) quo minus res talis restituatur: oppigneratione, manumissione, (b) & rei corruptione. (c)

a) *Donel. lib. 20. com. c. 5. pag. 412. in pr. (b) l. si post acceptum. 18. ff. h. t. (c) l. non solum. 13. l. Sin autem. 17. §. si homo. ff. eod. t.*

L.

Quod si enim possessor inter moras iudicij accepti vsuceperit rem,

rem,

rem, vel seruum petitum, & postea, ut iam Dominus factus, vel pignorauerit eam rem, vel seruum illum manu miserit, non fit eius restitutio in eadem causa, quæ fuit litis contestatæ tempore. Unde cum periculum de hac re esse possit, hoc nomine cauere tenetur possessor de dolo, nihil sc. dolo malo à se hac in re factum esse.

d. l. Si post acceptum. 18. ff. h. r.

L I.

Si quoq; deterior sit facta res petita dolo vel culpa possessoris, ut si debilitatum sit animal, aut vulneratum, tanti condemnari debet, quanto deterior res facta est. Quin etiam damnum legis Aquiliæ actione dominus petere potest, & ipsius est arbitrio, qua actione eius nomine experiri velit.

L II.

Si tamen animal deterius factum est, postea sine possessoris culpa ex alia causa perierit, non fit æstimatio in hoc in rem iudicio, eius quòd deterius possessor fecerit illud, quia nihil interest petitoris. Legis autem Aquiliæ actio durat.

d. l. Sin autem. 27. §. si homo. 2. vbi Bart. & Costal. ff. h. r.

L III.

Dispiciamus nunc de accessionib. rei nostræ corporalis petitæ, quæ & ipsæ in hanc actionem veniunt: ut sunt, tum quæ per alluionem fundo accesserunt, (a) item vsusfructus alienus, qui inter mortis litis ad proprietatem nudam redijt, (b) & ædificium in solo petito positum: (c) tum fructus non solum qui natura, sed & qui iure percipiuntur, & ancillarum partus: (d) tum etiam lucra, quæ extrinsecus per causam rei petitæ obtigerunt possessori. (e)

a) *l. Idem est. 34. ff. d. rei vind.* (b) *l. fructus. 33. vers. hac ratione. ff. eod.* (c) *l. Si in area. 16. C. h. t.* (d) *l. Iulianus. 17. §. 1. l. fructus. 44. l. si nauis. 62. l. cum in rem. 64. ff. eod. l. certum est. 22. C. d. t. l. praterea. 20. ff. eod.*

L IV.

Sed de fructuum materia difficili, cum supra (a) diffusè, & accuratè disseruerimus, illud tantum hoc loco repetendum duximus, quod bonæ fidei possessor ante litem contestatam fructus naturales, quos serendo percepit, suos quidem facit pleno iure (b) sed eos extantes & nondum cõsumptos, consumptorum enim æstimationem, licet possessor inde factus sit locupletior, non refundit, (c) domino vindicanti restituere tenetur: (d) ut & pecudum fructus, puta fœtus:

tus:

tus: (e) merè autem naturales fructus: vt lignum, pomum, pyrum, fœnum, percipiendo suos nec interim facit. (f) Quòd contrà malæ fidei possessor, cui post litem contestatam bonæ fidei possessor similis est, (g) nullos fructus suos facit, sed eos omnes, domino vindicanti rem, cogitur restituere, siue titulum possessionis suæ habeat, siue non habeat, siue naturales, siue industriales sint fructus, siue ciuiles, siue existent, siue sint consumpti, percepti etiam inhonestè aut non percepti, honestè tamen à petitore percipi potuerunt. (h) Quòd deniq; possessor, qui in iudicio bona fide rem tenuit, ex quo tempore cœpit malæ fidei possessor esse, suos fructus non facit. (i)

a) *Disp. 4. sub hac 4. class. (b) per text. adscriptos th. 24. dict. disp. 4. (c) vid. Fachin. lib. 1. contr. c. 58. (d) per fundam. th. 25. eiusd. disput. (e) per text. adscriptos th. 27. in eadem disput. (f) per iuris tex. subiectos th. 28. eiusd. disput. vid. Fachin. lib. 1. contr. c. 57. (g) l. sed etsi 25. §. si ante, 7. ff. d. petit. hered. & l. 2. C. d. fruct. & litis expens. Menoch. lib. 2. præsumpt. 31. Robert. lib. sent. c. 23. Et licet instantia iudicij lapsu temporis fuerit perempta; attamen, post acceptum illud iudicium, percepti fructus, in altero nouo iudicio repeti possunt. Fachin. post alios lib. 1. controu. c. 60. (h) per fundam. th. 18. sub ead. disput. 4. (i) per text. appositos th. 22. dict. disp. 4. vid. Fachin. lib. 1. controu. c. 69. Sed de tota hac thesi 54. vid. etiam Donellum lib. 20. comment. cap. 5. pag. 413. & seqq. & Honorom. ad S. & si in rem. Inst. d. offic. iudic.*

LV.

Et licet res, ex qua percepti sunt fructus, amissa sit, fructuuma tamen ratio spectanda est, (a) & quidem in bonæ fidei possessore, siue cuius dolo aut culpa res ante moram amissa est, pro eo tempore quo possedit; (b) at in malæ fidei possessore, qui dolo possidere desijt, vsq; ad rei iudicatæ tempus. (c) At fructus, quos petita res producere non potuit, exigi haud debent.

a) *l. vtiq; 16. ff. h. t. & l. si homo. 8. ff. de re iudic. (b) l. si à bonæ fidei. 21. ff. h. t. (c) l. iulian. 17. §. 1. & l. fructus. 33. ff. h. t. (d) l. ceterum. 31. et l. pen. ff. eod. tit.*

LVI.

Quæritur autem, an heres sua ignorantia malæ fidei possessoris vitia excludat? (a) Dd. communiter negant, quos sequi contra Copum (b) nihil dubitamus.

bbbb

Quos

a) *Quas refert & sequitur Menorb. d. recuper. poss. remed. 15. n. 618. & seqq.* (b) *tr. de fruct. lib. 2. tit. 4. c. 3. in fin.* (c) *per tex. in l. 2. in fin. C. d. fruct. & expens. lit. & in l. cum heres. 11. ff. d. diuers. temp. prescript. Fachin. lib. 2. contr. c. 56.*

LVII.

Quòd attinet lucra illa, quæ per causam rei petitiæ extrinsecus obuenerunt possessori, consistunt ea in his, quæ seruo petito hereditatis, legati, vel donationis titulo sunt data: (a) tum in actione legis Aquiliæ, si possessor inter litis moras rem pet. tam vsuceperit, eaq; ab aliquo deterior sit facta: (b) tum etiam in vsuris, quas mala fidei possessor per causam rei petitiæ accepit. (c)

a) *l. praterea. 20. ff. h. t.* (b) *l. Iulianus. 17. §. 1. vers. iuncto. vers. vlt. ff. eod. t.* (c) *per l. 1. §. 1. C. d. petit. hered. & l. 1. C. d. his, quæ vt indig. & fac. l. post Senatusconsultum. 28. ff. d. petit. hered. Cuiac. in lib. 6. quest. Papin. p. 114. Diff. Accurs. ad l. Si nauis. 62. in verb. sceneretur, ff. d. rei vind. vid. quoq; Pet. Costal. ad l. non solùm. 13. ff. h. t. vbi dicit, quòd perceptæ vsuræ eodem hoc iudicio non petantur, sed opus esse noua instantia. per l. 1. C. d. iudic. & l. Anteus. 14. §. vlt. ff. d. eq. & aq. pluu. arcend.*

LVIII.

Est & illud hoc loco monendum, quòd dominus rem suam à possessore vindicare potest, etiam non oblato precio, cuius soluendi nulla necessitate tenetur: (a) etiam si possessor à petitoris parente eam rem sibi comparauerit. (b)

a) *l. Si mancipium. 23. C. h. t.* (b) *l. 3. C. eod.* Quòd si tamen petitor alienanti parenti successit, doli mali exceptione, pro qua portione hereditas ad eum peruenit, vti successor aduersus eum potest. *l. cum à matre. 14. C. h. t.* Ex qua enim persona quis lucrum capit, eius quoq; factum prestare tenetur.

LIX.

Sequitur, quem in finem hæc actio moueatur, Mouetur autem duarum rerum gratia: vna est, vt Iudicis sententia petitor declaretur rei petitiæ dominus: (a) altera vt eadem Iudicis sententia possessor reus condemnetur petitori ad restituendam eam rem cum fructibus & omni causa. (b) Vnde hæc duo actor in libelli sui conclusione petere debet, (c) & in ijs etiam officium Iudicis versatur. (d)

a) *l. & ex*

a) l. & ex diuerso. 35. §. 1. ff. h. t. l. sicut. §. & si quaritur, & §. seq. ff. si feru. vind. Donell. lib. 20. com. c. 8. pag. 426. (b) l. Iulianus. 17. l. praterea 20. l. qui restituere. 68. ff. h. t. Donell. lib. 20. comment. c. 5. in prin. (c) Ferr. in form. lib. in act. reali. p. 9. & seqq. maximè pag. 14. in verb. tenet & possidet, n. 1. Pet. Iacob, Aurel. in pract. aux. libel. rubr. 3. VVesemb. ad §. rursus ex diuerso. ad verb. suam rem esse. Inst. d. act. (d) l. officium. 9. & l. item. 15. §. 1. ff. d. rei vind. & l. si in rem. ff. d. offic. iud.

LX.

Primum quidem Iudex possessorem reum conuictum iubet rem ipsam, cum accessionibus, puta fructibus & omni causa, petitori restituere. (a) Quod si pareat reus huic iussu & arbitrio, tunc Iudex absoluit. (b) Si neget in presenti se restituere posse, & sine frustratione tempus restituendi causa petat, indulgendum est ei, ut tamen de litis aestimatione caueat cum fideiussore, si intra tempus, quod ei datum est, non restituerit. (c) Sin contendat omninò restituere se non posse, siquidem habeat rem, manu militari, officio iudicis, ab eo possessio transfertur, & fructuum duntaxat, omnisq; causæ, condemnatio fit. Si verò non potest restituere, siquidem dolo fecit, quò minus possit, quantum aduersarius, (ut & suprà diximus) in litem sine vlla taxatione, ex delatione iudicis, in infinitum iurauerit, damnandus est. Si verò nec potest restituere, nec dolo fecit, quò minus possit, non pluris, quàm quanti res est, id est, quanti aduersarij interfuit, coudemmandus est. (d)

a) §. praterea, vbi prater alios Cuiac. VVesemb. & Hotom. Inst. d. act. & §. si in rem. Inst. de off. iud. & l. & ex diuerso. 35. §. 1. ibi, rem arbitratur Iudex mihi restitui. & l. qui restituere. 68. in prin. ff. d. rei vind. & l. si fundum. 17. in fin. C. eod. (b) §. vlt. Inst. d. perpet. & temp. act. l. vlt. §. 1. ibi, absolui solet reus, si restituerit. ff. quæ in fraud. cred. & l. hoc edict. 5. in fin. pr. ibi, sed tamen absoluendus est etiam qui post acceptum iudicium paratus est restituere. ff. d. publ. & vectig. (c) d. §. etsi in rem. Inst. de offic. iud. (d) l. qui restituere. 68. vbi post al. Costal. ff. d. rei vind. l. 4. §. iurare. 2. ff. d. in lit. iurand & l. si fundus. 17. §. in vindicatione. ff. d. pignor. Potest tamen Iudex alijs in iudicij, rebus adhuc integris, huic iureiurando, antequam praestetur, modum statuere. d. l. 4. §. iurare. 2. ff. d. in lit. iur. l. arbitrio. 18. ff. d. dol. l. 3. §. praterea. ff. ad exhib. Donell. lib. 20. comment. c. 6. p. 427. in fin.

bbbb 2

Sed

LXI.

Sed ad fructus quod attinet, si ante litem contestatam percepti sint, ut Iudex de illis simul pronunciare possit, necessum est, eos extantes, vnâ cum re principali actor vindicet, consumptos verò condicat. (a) Sin post litem contestationem percepti sint, etiam non petiti, officio Iudicis restituuntur. (b) qui de his etiam pronunciare intelligitur, si rem restituere iubeat possessorem. Quin etiam actor fructus ante litem contestationem à possessore perceptos, petisse censetur, si rem sibi restitui petierit in libello, (c) maximè si hîc vulgatam habeat clausulam, peto mihi ius & iustitiam administrari. (d)

a) *l. partum. 10. d. vsur. l. mala fide. 3. C. d. condict. ex leg. l. si pignore. 22. §. si prædo. 2. ff. de pignor. act. Quòd si fructus ante litem contestatam perceptos, non simul petierit quis, petere eos post hoc iudicium non prohibetur. l. si quis. 7. §. de fruct. ff. d. except. rei iud. (b) l. adiles 25. §. item sciendum. 8. ff. d. edil. edict. l. si fundus. 16. §. interdum. 4. ff. d. pignor. l. si tertius. 6. §. officium. ff. d. aq. & aq. plu. arcend. §. & si in rem. Inst. d. off. iud. & l. qui restituere. 68. ff. h. t. Cuiac. lib. 2. quest. Paul. p. 55. VVesemb. cons. 99. n. 8. 9. & 10. Did. Couarr. lib. 1. var. resol. c. 3. n. 1. (c) per legem plus est. 22. l. restituere. 35. l. restituere. 75. ff. d. verb. sig. Cuiac. in lib. 17. Paul. ad edict. p. 233. & seq. & trad. Goedd. ad d. l. plus est. 22. n. 17. ff. d. verb. sig. (d) Myns. cent. 4. obs. 55.*

LXII.

Quòd si autem res mobilis sit, de qua agitur, si præsens non fuerit, & bonæ fidei sit possessor, cum quo agitur, tunc ea vel ibi restitui debet, vbi sine dolo possessoris est, vel vbi agitur: sed sumptibus petitoris, qui extra cibaria (si res petita animalis sit, ut cibo egeat) in iter vel nauigationem faciendi sunt; (a) nisi malit petitor suis impensis & periculo ibi, vbi iudicatur, rem restitui, Tunc enim de restitutione cum satis datione cauebitur. (b)

a) *l. si res. 10. ff. h. t. & l. sed etsi. 11. §. 1. ff. ad exhib. (b) l. nisi. 11. ff. h. t. Cuiac. lib. 21. Paul. ad edict. pag. 311.*

LXIII.

Si verò malæ fidei sit possessor, qui in alio loco eam rem nactus sit, idem statui debet. Si verò ab eo loco, vbi litem contestata est, eam subtra-

subtractam aliò transtulerit, illic restituere debet, vnde subtraxit, sumptibus suis.

l. Si verò. 12. ff. h. t. Cuiac. in d. lib. 21. Paul. ad edict. pag. 311. & seq.

LXIV.

Restat vltima inspectio, de indemnitate possessoris Rei conuenti. Est autem duplex damnum, cuius ratio hîc spectanda est; vnum præteritum, alterum futurum. Præteritum, quid impenderit in rem petitam possessor. Et sciendum est, quòd possessor omnis siue bona, siue mala fide rem petitam possideat, conuentus hac actione necessarios sumptus seruare potest, per retentionem rei, non modò opposita exceptione doli, sed & officio Iudicis.

l. domum. 5. C. d. rei vind. l. Si à domino. 36. §. vlt. & l. Planè. 38. ff. d. petit. hered. l. fundus. 51. in pr. ff. famil. ercisc. Ob stare videtur l. 2. C. d. infant. expos. vid. Fachin. lib. 1. controu. c. 54. Possunt & alia obijci. de quib. vid. Donell. lib. 20. com. c. 7. pag. 430. & seq.

LXV.

Vtiles impensas bonæ fidei possessor similiter per retentionem, opposita exceptione doli, vel Iudicis officio, seruare potest. Quòd si petitor ob paupertatem impendia soluere non possit, permittitur possessori opus deducere, modò absq; dispendio rei, puta fundi, commodè tolli possit. Quo tamen casu, si petitor pauper paratus sit tantum dare, quantum habiturus est possessor opere deducto, & sublato, potestas ei fieri debet. (b)

a) *l. Sin autem. 27. §. vlt. l. Sumptus. 48. ff. d. rei vind. l. qui sciens. 11. vers. sanè. C. eod. tit. l. in hoc iudicium. 14. §. 1. ff. com. diuid. l. si in area. 33. in fin. ff. d. cond. indeb. & l. Paul. 14. ff. d. dol. mal. & met. except. Et licet Papin. in l. sumptus. 18. ff. d. rei vind. dicat, exceptione doli posita, per officium Iudicis, attamen ea oratio pro disiunctiua accipi debet, quasi dixisset Iurisconsultus nuncupatione vel exceptione doli posita, vel per officium Iudicis. Nam & huic iudicia exceptio doli inest, quæ si omissa sit, consulitur huic rei per officium Iudicis.*

bbbb 3

planè:

l. planè. 38. & l. vlt. ff. d. petit. hered. l. bonæ fidei. ff. d. nox. act. d. l. Sin autem. 27. § vlt. ff. d. rei vind. Cuiac. lib. 10. obs. c. 1. & in lib. 2. responsorum Papin. pag. 61. & seq. & in lib. 21. Pauli ad edict. pag. 324. col. 2. (b) d. l. Sin autem. 27. §. vlt. vers. nisi tamen. & l. in fundo. 38. ff. d. rei vind. Cuiac. in d. lib. 21. Paul. ad edict. pag. 325. col. 2. & Donell. lib. 20. com. cap. 7. pag. 433. in fin. & pag. seqq.

LXVI.

Malæ fidei possessor exceptione doli, vel Iudicis officio seruare has impensas nequit. (a) Cui tamen permittitur sine dispendio, & læsione rei, hos sumptus auferre, puta, tollere ædificium quod posuit. (b)

a) *d. l. Iulianus. 37. vers. puto autem. ff. d. rei vind. l. adeò. 7. §. ex diuerso. 12. ff. d. acquir. rer. dom. & §. certè illud. vers. nam scienti. Inst. de rer. diuis. Obst. videtur d. l. planè. 38. ff. d. petit. hered. vid. de hac quest. post alios quos refert Fachin. lib. 1. contr. c. 55. (b) d. l. domum. 5. in fin. C. d. rei vind. & l. Iulianus. 37. in fin. ff. eod. tit. Sed obstare huic sententiæ quadam videntur, de quib. vid. Donell. lib. 20. com. c. 7. pag. 435.*

LXVII.

Voluptuarias quidem impensas bonæ fidei possessor exceptione doli per retentionem seruare potest. (a) At malæ fidei possessori fit tantùm potestas tollendorum eorum, quæ sine detrimento rei tolli possunt, si petitor pretium eorum soluere nolit. (b)

a) *l. vtilis. 39. §. vlt. ff. de hered. petit. Diss. Donell. lib. 20. comment. c. 7. pag. 436. (b) l. in fin. ff. d. hered. petit. & l. pro voluptuarijs. 9. ff. d. impens. in res dot. fact.*

LXVIII.

Quòd si possessor rei vindicatione conuentus, & condemnatus, omisso huiusmodi aliquo iuris remedio, restituat actori rem petitam, nullam impensarum nomine actionem aduersus eum habet; (a) ne quidem vtilem negotiorum istorum actionem, (b) licet quidam hoc velint.

a) *d. l. si*

a) d. l. si in rem. 33. in fin. ibi, nullo alio modo, quam per retentionem impensas seruare posse, ff. d. condict. indeb. d. l. Paulus. 14. ibi, non alias sumptus consequi posse, quam si possideat, ff. d. dol. except. l. in hoc iudicium. 14. S. 1. vers. diuersum est enim. ff. com. diuid. l. heres. 21. ibi, qui retentiones, quas solus habent, omittunt. ff. ad Senatusconsultum Trebell. d. l. sumptus. 43. ff. d. rei vind. (b) vt ex dict. locis apparet, quæ omnes actiones denegant hoc casu reo, & sentit ita Donell. lib. 20. comment. c. 7. pag. 438. vers. hætenus ergo. & pag. seq. (c) vt post Martinum Accurs. ad d. l. plane ff. d. petit. hered. & ad l. in fundo. ff. d. rei vind. & D. Gædd. ad l. impensæ. 79. n. 8. & 9. ff. d. V. S. Sed ad rationes huius opinionis, respondet Donell. d. c. 7. p. 439.

LXIX

Supereft futurum damnum. Quòd si possessor prædij petiti nomine damni infecti cauerit, ei à petitore victore vicissim cauendum erit: (a) vt & hoc casu cauere aut satisfacere victo possessori tenetur petitor, si possessor etiam ab alio eius rei nomine conuentus fuerit: cauere, inquam, aut satisfacere tenetur, quod prædium alteri petitori præstare velit, si is euicerit illud. (b)

a) l. ipsi quoque 19. ff. d. rei vindic. (b) l. is à quo. 57. vbi Petr. Costal. ff. eod.

LXX.

Si item reus æstimationem rei petitiæ, quanti petitor in litem iurauerit, præstare contemnatus est, & ea res absens sit, non aliter litem Iudex æstimat, quam si cauerit actor, quòd per se non fiat, possessionem eius rei traditam iri.

l. hac si res. 47. ff. de rei vind.

LXXI.

Bonæ fidei quoque possessor, si culpa, non fraude, possessionem amiserit, quoniam pati debet æstimationem, audiendus erit à Iudice. Si desideret, vt aduersarius actione sua cedat. (a) Is verò qui dolo fecit, quo minus possideret, hoc quoque nomine

ne

ne punitur, quod actor cauere ei non debet, actiones, quas eius rei nomine habet, se ei præstaturum. (b)

a) l. Si culpa. 63. vbi Pet. Costal. ff. de rei vindicat. vid. Cuiac. in lib. 12. quest. Papin. p. 310. & seqq. (b) l. is qui dolo. 63. & l. seq. ff. eod. tit.

FINIS DISPUTATIONIS VIGESIMÆ TERTIÆ.

Ka 3071

(3/4)


ULB Halle 3
003 261 573



sb

Einband. 3/1.





Disputatio XXIII.

DE
VINDICATIONE
QUAM,

D. B. F.

P R A S I D E

RISSIMO ET
ULTISSIMO VIRO,
HENRICO BOCERO. I. V. D. ET
a Tubingensi Academia Antecessore celeberrimo, Praeceptore suo honorando,

NARI EXERCITII GRATIA
tueri conabitur.

N. GEORGIUS BESOLDVS,
Tubingensis.



TUBINGÆ
Apud Georgium Gruppenbachium.

A N N O M. D C.

ZZZ

